



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Novæ Observationes Et Additiones Ad A. R. P. D. Bartholomæi Gavanti Congreg. Cleric. Regul. S. Pauli ac Sac. Rit. Congregat. Consultoris Commentaria In Rubricas Missalis Et Breviarii Romani

Adjectis Summorum Pontificum & Sac. Rit. Congreg. Decretis usque ad
præsens emanatis

Complectens omnia Gavanti Commentaria in Rubricas Breviarii - Cum
Indicibus Decretorum, Rerum atque Verborum notabilium

Merati, Gaetano Maria

Augustæ Vindellicorum, 1740

VD18 10783695-002

De prolatione Officii Divini. V.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39775

Corona D. N. J. C. inter Reliquias insignes computantur, & speciali nota, & cultu dignæ sunt, ideoque in Terra Tarragæ, & alibi concessum postea fuit, ut posset recitari Officium, & Missa de Corona Domini, dummodo constaret Spinæ esse de dicta Corona, prout concessit eadem Congregatio in *Celsonen.* 1633. 20. Martii.

Quando dicimus, quòd in sola Ecclesia, in qua est insignis Reliquia, recitari possit Officium, non est sensus, quòd solum intra ipsam Ecclesiam recitari possit, sicut dicitur de Symbolo dicendo in Missa, sed quòd illis solis liceat recitare, qui sunt adscripti tali Ecclesie. Ita Neuser, & Gobat *tract.* 3. n. 696. *Append.* 4. *lit.* B. Plura alia ad has Reliquias pertinentia vide apud eundem Gobat n. 683. & 686.

Reliquum est, ut hìc mentionem faciamus alterius Decreti edicti die 5. Julii 1698. in *Collen.* & dati in nostro Indice sub n. 199. in quo S. R. C. iterum declaravit, quòd consuetudo triginta Annorum non habet vim ad hoc, ut continuari possit recitatio Officii de aliquo Sancto in Ecclesia, in qua servatur

ejus Corpus, nisi doceatur, an sit descriptus in Martyrologio, & constet de ejus identitate. Videri potest etiam Decretum datum in nostro Indice sub n. 259. ex quo deduci potest, quid servandum sit in aliquo casu particulari simili contento in eodem Decreto.

V. Gavant. pag. 6. col. 1. n. 12. -- *In Beatorum cultu limitate procedit.*) Verissimum est, quòd Ecclesia limitate procedit in cultu Beatorum tum quoad locum, tum quoad tempus, tum quoad Ritus celebrandi eorundem Festa, Missas, & Officia, ut videre est in Decretis editis die 27. Septembris Anno 1659. & datis in Indice Decretorum spectantium ad Rubricas Missalis sub n. 361. & seq. nec non sub n. 378. 379. & seq. Deinde liquet ex Decreto supra exposito, & dato in nostro Indice sub n. 79. declarari recitationem Officii de Beatis non esse satisfactoriam præcepti, nisi quoad illos, quibus Sedes Apostolica de hoc indulgit, ac insuper talium Beatorum nomina non esse apponenda nisi in Calendariis illius loci, & earum personarum, in quo, & à quibus cultus Beatis cum Officio, & Missa concessus est.

Tit. III. De Intentione Officii Divini.

Tit. IV. De Attentione Officii Divini.

Tit. V. De Prolatione Officii Divini.

Tit. VI. De Tempore Officii Divini.


Tit. VII. De Loco Officii Divini.

Tit. VIII. De Ordine Officii Divini.

Tit. IX. De Interruptione Officii Divini.

Cap. VI. De Pœnis circa Officium Divinum.

Hi omnes 7. Tituli cum Cap. VI. carent novis Observat. & Additionibus, ergo hinc progredimur ad subsequent. Sect. Secundam.



SECTIO